

rinthiaco. In tympano figuræ sunt, partim integræ, partim fractæ: *Apollo* ad Tripodem: In angulis ad dextram jacet *Terra* cum Cornu Copiæ, velificante supra caput linteo: ad sinistram *Fluvius*, sub cuius cubito vas aquam effundens, tenet cannam manu: reliqua discerni nequeunt. Ager suburbicarius, vicinique colles amœnissimi sunt & jucundissimi; frumenti, vini, variorum fructuum, herbarum, florum, rerumque omnium, ad hominum animaliumque necessitatem, voluptatem, delicias faciunt feracissimi. In agro circumquaque fertili, præsertim littoreo, videre est stupenda Principum Nobiliumque Prætoria; inter alia *Marchionis Vicensis* & *Bernardini Martizani*. Superbit autem præ aliis palatium exstructum olim ab rege Ferdinando Aragonio; quod vulgari voce *Pogium* vocant Itali. Præterea fontium ædiculas, antra Nympharum, piscinas, porticus, ambulacra, & id genus alia. Altero ab Neapoli lapide via Puteolana, prope fauces perfossæ per *Paufilypum* cryptæ, præter monumentum *Virgillii*, *Actii Synceri* *Sannazarii* Poëtæ domus visitur, templumque D. Virgini dicatum. Est ibi marmoreum sepulcrum, adfabre sculptum. Hinc *Orpheus*, seu *Apollo*, illinc *Sibylla* sive *Musa*, ex marmore candente; cum hoc *Petri Bembi* Cardinalis Epigrammate;

*Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus Musa proximus, ut tumulo.*

Scriptores. Historiam regni scripsit *Pandolphus Collemutius*. Ipsam urbem delineant *Iovianus Pontanus* libro *Histor. VI*, & alii. Edidit quoque libellum *Benedictus di Falco* Neapolitanus, patria lingua, cum Titulo, *Descriptione di Suoghi Antiqui di Napoli, & del suo amenissimo distretto*. Circumfertur & libellus, sine auctoris nomine, cum hac inscriptione: *Nomi delle Provincie, Citta, Terre, & Castelle del Regno di Napoli: De Vescoyadi & Principi, Duchi, Marchesi, Conti, Baroni, & Signori, che vivono: Delle Famiglie Nobili della Citta di Napoli, & di tutto il Regno.*

Nola Ve-
rum.

Urbs *Nola* duodecim à Neapoli passuum milia abest, condita creditur vel ab *Iapygiis* vel à *Titiis*. In Epitomis *Livii* colonia Romanorum fuisse legitur. Nomen habet non à conditore, duce vel regulo aliquo, sed potius ab agri sui ingenio. *Nola* enim verbum Græcum est, atque per ω scribitur, ut $\text{N}\alpha\lambda\alpha$, quod ipsum compositum est ex $\nu\alpha$ particula privativa & nomine $\lambda\alpha\varsigma$ $\lambda\alpha$; quod significare Græcis volunt lapidem atque fluvium, quasi locus absque lapidibus & fluvio. Campus enim *Nolanus* neque lapides habet ullos, neque flumine aliquo rigatur. Quare *T. Livius* fecit exclamare ad suos *Annibalem* hisce verbis: *Expugnate Nolam campestem urbem, non flumine non mari septam*. Excrevit viribus & belli fama usque ad *Samniticum* bellum, quod cum Romanis gestum est ante

Augustum ducentesimo ac septuagesimo anno. Bis ab *Annibale* oppugnata à *Marcello* liberata fuit. Narrat *Suetonius Augustum* ex *Capreis* affecta valetudine *Nolam* delatum, ibidemque in eodem cubiculo, quo pater *Octavius*, obiisse. Magnus olim fuit urbis ambitus, cuius diametrum colligit *Ambrosius Leo* fuisse sexcentis sexaginta passibus. Quatuor sunt, quæ urbs illa nobis reliqua fecit, nempe amphitheatrorum duorum partes quasdam, tumulos, pavimenta quædam templorum, & fundamenta multorum ædificiorum terra tecta. Divino cultui enixe navatam à *Nolanis* operam præcis illis seculis testantur templa plurima quæ in urbe erecta fuerunt; veluti templum *Mercurii* & templum *Augusti*. Marmoribus siquidem ibidem effossis inscriptum legitur, *TEMPLUM AVGVSTI*. Item: *L. SATTIOL. PHILEROTI. MAGISTRO. MERCVRIALI. ET AVGVSTALI. NOLÆ*. Fuere *Nolanis* oratio moresque urbani & mites, quam orationis bonitatem etiamnum retinent. Nemo enim *Italorum* voces *Latias*, uti & *Italorum Barbarorumque Latina* verba, exactius profert, quam *Nolani*. Hodie in eodem agro atque sedibus iisdem jacet, in quibus olim condita exstiterat. Figura ejus quanquam undecim est angulorum, aliquanto tamen est longior, qua ab ortu occasum versus protenditur. Quin etiam qua ad occasum vergit, paulo actior; qua vero ad ortum, latior. Latus quoque, quod ad occasum spectat, rectum est: id vero quod orientem Solem excipit, angulosa rotunditate curvatur. Et quoniam urbis ambitus arctior nunc est, quam prior, eo minor quoque nostra tempestate in agris ora atque possessio reddita est. Cineta est muris, pomœriis, promurali, fossa, portis, atque aggere. Inter portam *Vincancium* atque murum extremum, qui ab ortus plaga ad usque fossam arcis protenditur, arx erecta est, pluribus turribus insignis. Regia, antiqua regulorum domus, ad portam eam urbis erecta est, quod *Portellum* appellatur. Porticum habet insignem, templa D. *Mariæ*, (Episcopium vocant) D. *Ioannis Baptistæ*, S. *Servatoris*, S. *Spiritus*, S. *Paulini*, S. *Felicis*, S. *Clarae*, S. *Francisci*. In basilica majore, atque sub choro sacellum est subterraneum, necnon basilica *Apostolorum* ad multas pedes depressa in humum. Sacellum etiam infernum D. *Felicis* subterraneum spectatur. Ædium forma aut quadrifetra conspicitur, aut, quod frequentissimum est, oblongior quam lata est. *Tiberius Cæsar* templum *Augusto* erexisse legitur. *Nicola Vrsinus Pyrrhi* pater cœnobium D. *Francisci*, atque collegium virginum condidit: in media vero urbe porticum fundavit. Arcem alii ad *Ladislaum regem*, alii ad *Pyrrhum Vrsinum Nicolæ filium* referunt. *Raimundus Vrsinus Pyrrhi filius* promurale cum erismatis fecit: idem femi-

Nova.

Arx.
Regia.

Templa.